

mus, quin alia quædam simplicior formula tum primum suscepta est. Quippe quum nullus esset ambitus in tam proba civitate, nulla honorum affectatio; non divitiæ, non nobilitas, non reliqua in suffragiis spectabantur ornamenta: sola hominis virtus censebatur: hac in quærendis honoribus opus erat, non arte. Sed quamvis probitatis & innocentia in primis ratio haberetur: quia nunquam satis cautum creditur iis quæ mortalibus charissima sunt, ferunt novum Ducem coactum in aliena verba jurare, omnia se cum fide curaturum quæ e republica Venetique nominis dignitate essent. Secundum hæc quæ diximus, tradita sunt illi insignia quædam, quibus amplissimam dignitatem ornandam putavere. Nec omnia ab initio data contenderim, quæ nunc circa Principem conspiciamus: quum plane constet, ex eis quædam esse longe recentiora, atque aliunde quæsitæ. His ita receptis, continuo novus Dux ad rempublicam præsentis bello levandam conversus, cum Liuthprando fœdus percussit. Sunt qui eum prælio vicisse scribant, Heraclia fines a Plavæ fluvio ad minorem quam *Plaviculam* quidam nominant, promovit. Equilinos, qui per id tempus a Venetis defecerant (apud nonnullos Jesulanos pro Equilinis defecisse reperio: quo fit ut non omnino ab illis dissentiam, qui Equilium etli nomine, re tamen a Jesulo haudquaquam diversum autumant) auctoritate magis quam armis ad imperium retraxit. Torcellani interim splendidissimum phanum divæ Virgini erexerunt: in eo Heliodori Altinatis corpus divorumque complurium reliquias locavere. His operibus editis, quum annos viginti & menses sex Paulutius reipublicæ prætuisset, vita decessit. Marcellus Heraclianus in demortui locum omnibus suffragiis Princeps declaratur: ejus ducatu, qui annos novem habuit, nihil dignum memoria gestum reperio: hinc puto accidisse, quod quidam scriptores eum inter Duces non retulere, Paulutio Horleum Hipatum subjicientes, cui Urso cognomen fuit. Ferunt miræ alioquin fuisse probitatis amœnique ingenii, nec omnino a rebus bellicis abhorrentis, sed majore omnino pacis quam belli conciliata fama diem obijt. Horleus, quem Ursum cognominatum diximus, post Marcellum est Dux crea-

697

717

Marcellus
Heraclianus Dux,
Ursus, sive
Horleus Hipatus Dux.

726